



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Complures in eundem cœtum adducit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

vindicandi causâ. Admirabantur in eo omnes incredibilem morum cum insigni specie coniunctam suauitatem, modestiamq; tantâ bonitate mixtam. Non dedignabantur iuuenes etiam nobilissimi cum eo cōsuetudinem contrahere: quinimò & honorabant, quantumuis natalium fortunarumque obscuritate inæqualem. Si fortè solutior sermo aliquis inter commilitones incidisset, atque ipse fortè interuenisset, statim aut silebatur, aut ipse pudore suffusus discedebat, perinde vt de Senensi Bernardino narratur. Puer quidam existit præter ceteros ad petulantiam educatus, qui conuitijs eum sæpiùs iniurijsque figebat: sed optimus Iuuenis postquam iniurias omnes summâ cum animi demissione tolerantiaque tulisset, nullâ vmquam responsione pueri procaciam fregit, nullas vmquam apud alios querelas deposuit.

*Morum  
suauitas  
Nobilium  
ei conciliat  
amorem.*

*Patienter  
fert iniurias.*

Initio sui ad Scholas Societatis accessus, omni statim contentione procurauit in Virginis beatissimæ Sodalitium admitti, in quod summo omnium consensu & approbatione relatus, mox insigni suâ industriâ, iucundissimaque consuetudine, quàm plurimos in eundem cœtum pellexit, non è suis modò commilitonibus, verùm etiam Seminarij publici alumni; aiebatque se illis affici præcipuo quodam amore, quos sciret Matri sanctissimæ.

*Procurat se  
referri in  
album So-  
dalitij Ma-  
riani.*

*Complures  
in eundem  
cœtum ad-  
ducit.*

ctissi-



*Obsequia  
B. Virgini  
exhibita.*

*Variapie-  
tatis exer-  
citia.*

*Orationi  
deditus.*

*Celanda  
virtutis  
inuentum.*

ctissima esse deuotos. Omnibus in hac Congregatione præluxit exemplo bonitatis, obferuantia, religionis. Sabbati diebus omnibus, alijsque Virginis peruigilijs, ieiunio eam venerabatur. Quotidie proprias ei preces è Psalterio D. Bonauenturae perfoluebat. Principio cuiusque mensis Directorem Congregationis interrogabat, cui vitio præcipuè emendando se iuberet incumbere, quo cultu beatissimam Virginem, mensisque currentis tutelarem Diuum demereri. Per eos dies commentationi plusculum dabat sese, & quidquid temporis litterarum studio superabat, in orando consumebat. Omnis verò domus angulus, quem vacuum primum offendisset, ei pro Oratorio erat; nec semel à domesticis post noctis medium, nudis in solo genibus orare, post orationem humi somnum capere, deprehensus est. A sacra Communionem duas tresve horas orando extrahere consuèrat. Quolibet Veneris die, sub tenebras vespertinas, ne à quoquam nosceretur, plantis nudis viam, quâ sanctæ Cruci supplicatur, per varia stationum loca, in memoriam sacratissimæ Passionis obibat: quod vt religiosius secretiusque faceret, soleas infernè succiderat calceis, vt dum plantas soli saxorumque asperitate affligeret; tectis supernè pedibus, obuorum oculos falleret. Quidam  
ex